

† Fr. I. Lucius Markham (1863-1936)

(*Prov. Australasiae*)

C. F. Lucius Markham, cuius memoria celebratur propter urbanitatem et benignitatem, natus est in civitate Australiae Victoria die 27 Aprilis 1863. Parentes eius, ex Hibernia egressi, variis locis, ubi degebant: Castlemain, Ballarat, Ross Novae Zelandiae, semper catholici erant excellentes; ideoque patebat domus eorum presbyteris peregrinantibus vel castra visitantibus.

Neque annis labentibus tenorem vitae mutaverunt: religionem potissimum colebant: munere catechistarum pro parvulis et adultis assidue fungebantur: aegrotis remedia ministrabant. Hoc munus caritatis Lucius quoque, quatenus potuit, explevit. Adolescens autem sutrinae tabernae alumnus adscriptus est.

Divina Providentia consilia piorum parentum secundabat; nam administrationem valetudinarii loci sortiti sunt, et persaepe Lucius auxilio erat matri infirmos curanti: qua scientia postea saepe bene utebatur in commodum nostrorum aegrotantium.

Ad se perficiendum in arte sutoris ad Wellington, urbem Dominii principalem, pervenit ibique annos decem degit. Hoc tempore Patres nostri

---

<sup>1</sup> Longiorem R. P. Iosephi Nusbaum vitam publici iuris fecit R. P. Ernestus Collet.

per totam regionem praedicabant missiones, quibus Lucius identitem assistebat. Occasione data, quidam ei suggestit ut Patres, vice famuli, sequeatur: Itaque, ubi primum fieri poterat, compositis suis negotiis Rev. Patrem O'Farrell in Australiam comitatus est.

In navi improbus quidam R. Patrem crumena spoliavit. Cum vidisset ergo Patrem tristitia affectum, benevolus Lucius sacculum suum obtulit dicens: 'Pater mi, sume hoc: in eo satis est pro me et pro te'.

In noviciatu solummodo breve spatium temporis mansit. Propter mortem namque patris domum redire ad matrem sublevandam coactus est. Itaque in oppido Ross artem sutoris diligenter exercebat, ita ut celeber fieret ob operis sui bonitatem et elegantiam. In officina sua parvula per totum diem laborabat herbae nicotinae fumum ducens. Benigne admittebat omnes qui secum consulerent, neque eos dimittebat sine saltem uno verbo apto ad pietatem alendam. In rebus parochiae adminiculo erat parocho. Cantus magister erat in ecclesia sodalisque conferentiae de S. Vincentio a Paulo: fidibus quoque canebat in concentu musico; verbo, fovebat artes quae adolescentiores a malo abstrahere possunt.

Mortua matre iterum noviciatum petivit (vis amoris intentionem multiplicaverat inquisitionis). Experimento iterato alacriter se subiecit, neque in eo aliquid difficile invenit nisi abstinentiam usus nicotinae, quo olim se delectaverat. Multis post annis tandem, iam quinquagenarius, ad Mayfield die 24 Decembris 1913 perpetua vota professus est.

In domibus nostris communitati fideliter serviebat. Saecularibus ad aliquod negotium tractandum advenientibus affabilis erat: silentii amantem nec rerum alienarum curiosum se ostendebat. Modestia et comitas atque urbanitas eius omnibus probabantur et bono erant exemplo.

Die quodam, regressus ex urbe, Patri Ministro fasciculum quemdam proiecit. Roganti Patri Fr. Lucius dixit: 'Quidam, qui venerat e loco ubi ego degeram, obviam mihi factus est aiens: amice mi, tibi bibendum est tecum'. Ego respondi: 'Gratias, hodie id mihi non expediret'. 'Per Bacchum!' inquiebat, 'oportet te habere tabacum'. Ego dixi: 'Pace tua, reliqui tabacum'. 'Proh dolor!' inquit; 'ergo opus est me tibi aliquid dare'. 'Et, pater mi', persistebat Lucius, 'hoc mihi dedit'. 'Quid est hoc?' rogavit Pater. Arridens Frater dixit: 'Nihil aliud quam pisces libram pondo!'

Ad Studentatum in Pennant Hills anno 1928 missus est: et deinceps utilissimus erat studentibus. Quia erat peritus artis suae, calceos resarciebat, quos nullus alius sutor tractare poterat. Et laborem sanctificabat aut orando aut hymnos cantusque pios submissa voce cantando.

Studentatu translato ad Ballarat die 8 Februarii 1933, C. F. Lucius, ut pars integralis familiae, studentes et Lectores in novam domum comitatus est. Dehinc ad artem suam se denuo applicuit, neque posthac ab ea

cessavit, donec mors gravitatem sedulitatemque operis interciperet. Mors autem ipsi furtivo passu advenit nobisque aequo citius: quare studentes salutationem hilarem, obsequium renidens, comitatem lenem, etiam mallei sonum Fratris Lucii adhuc desiderant.

Doloribus senectutis afflictus mox morbo cessit. In nosocomio ad S. Ioannis in Ballarat, quo allatus est, per hebdomadem pietate, obedientia, patientia Sorores curantes aedificabat; eadem ratione, qua iam spiritu regularis observantiae et amore devotionum propriarum Congregationis confratres aedificaverat.

In osculo Domini mortem occubuit die 15 Decembris 1936. Permulti presbyteri unacum Episcopo Ballaratensi aderant Missae sollemni de Requie in ecclesia nostra habitae. Atque e locis longe diffusis laudationes defuncti, sive epistola, sive filo electrico, unacum promissione Missarum, communio-num, precum acceptae sunt. Quae laudes concordes confratri nostro aptae sunt: nam *erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo* (Iob 1, 1). R. I. P.